notae officii patrii? tu inveteratam de tua constantia ac fortitudine
opinionem evelles? tu rumoribus hominum virtutem quam potes superiori sinas?
non prius maculam, quam pacis ulla mentio fiat, delebis. Romani
siquando à Volscis aut Latinis victi de pacis conditionibus interpella-
rentur, tum demum admittere solebant cum victores ab ijs penitusque superatis
acceptum ab illis dedecus plagasque reposuissent. Ipsi cum à Pyrrho
aliquot praelijs essent superati oblatam illi regis amicitiam repudiarunt
ita ut dedecus impositum fortius vindicarent. Fractus superatusque
est avus tuus vel etiam Parens tuus multis praelijs et ipsa Germania
tantum non omnino devastata, iam pacem inire maculam vero de-
lere cruore immanissimorum hostium non cogitas? Quid pacem desi-
deras cum Sueco componere? iustam reipublicae Christianae labem
abstergas suadeo, clarissimorum virorum necem nefariam, Sanctissimae
Ecclesiae crudelissimam stragem vindices volo. Atque utinam hac
ipsa hora Monasteria oppida regiones ipsaque totius Germaniae
Ecclesia coram adstarent, cladem funestissimam quam perpessa componere
neutiquam valeret, ostenderetque pacem inutilem turpem futuram, at animo
consilio virtute bellica quam posset resisteret fortissimae: neque